3 1761 07994048 2

Schmidt, Leopold Valentin
Supplementum quaestionis
de Pindaricorum carminum
chronologia

PA
4276
S34

INDICES

LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE HIBERNUM

INDE A D. XV. M. OCTOBRIS MDCCCXXX USQUE AD D. XV. M. MARTII MDCCCLXXXI

1881

HABENDAE PROPONUNTUR.

Praemissum est *Leopoldi Schmidtii* supplementum quaestionis de Pindaricorum carminum chronologia.

MARBURGI.

TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.

PA
4276
S34

LIBRARY
AUG 1962
UNIVERSITY OF TORONTO

305213

ACADEMIAE MARBURGENSIS

RECTOR CUM SENATU

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS

S. P. D.

Quae Theodorus Bergkius anno huius saeculi sexagesimo sexto in poetarum lyricorum editione tertia de Pindaricorum carminum temporibus disputaverat, ea diu speraveram ab aliis refutatum iri: ea tamen spes cum me fefellisset, ego ad rem accessi atque oblata anno septuagesimo septimo per sexagesima Mommseni natalicia occasione fundamenta chronologiae Pindaricae Boeckhium unice recte posuisse docui. Prorsus autem singulari casu accidit, ut evulgato illo volumine in Th. Mommseni honorem composito, quo mea de hac re scripta dissertatio continebatur, brevi tempore post poetarum lyricorum graecorum quartum recensitorum tomus primus prodiret, in cuius initio ignarus adhuc mei opusculi Bergkius suam opinionem denuo exposuerat, in cuius autem fine (p. 480) notitia eius accepta pauca quaedam contra dixit. Atque haec quidem vix me ad respondendum excitassent, nisi in ipsis prolegomenis et in adnotatione vir doctissimus nonnulla protulisset, quae magis illustrandae eius sententiae inserviunt quaeque sunt eiusmodi, ut propter ea summam rei denuo explicare non abs re esse videatur.

Etenim cum a veteribus Pythiadum numeros duobus modis inter se diversis positos esse constet, uno secundum quem prima, altero secundum quem secunda Pythias in undequinquagesimae Olympiadis annum tertium incidit, quaeritur utra computatio in eo catalogo obtinuerit, ex quo temporum notationes in

Pindaricis scholiis obviae fluxerunt: nam prout vel unum vel alterum statuitur, Pythicarum odarum quae supersunt unaquaeque vel priori vel posteriori anno assignanda est. Sedulo autem cavendum est, ne ipsum illud de quo ambigitur significatione non satis convenienti obscuretur. Veluti quod Bergkius p. 13 Boeckhium uni Pausaniae fidem habendam esse censuisse, se non dubitasse fidem annalibus Pariis et Pindari scholiastis habere potius quam Pausaniae pronuntiat, ita dictum est, ut lectorem minus attentum inducat ad credendum unum testem vel unum testium genus vera alterum falsa proferre atque a nobis investigari debere, utri vera debeamus. Quid? quod talis lector non potest non in opinione eis confirmari, quae cum his cohaerentia ille de instaurati certaminis Pythici originibus deque bello Crisaeo disputavit quaeque eo spectant, ut internas causas eam computationem magis commendare appareat, ex qua Olympiadi undequinquagesimae prima Pythias ascribitur. At si quis indagaturus est, dierum significationes ab aliquo hodierno scriptore res Rossicas enarrante exhibitae num secundum Rossicos an secundum Gregorianos fastos intellegendae sint, ei profecto non ex interna vel horum vel illorum praestantia sed e reliquo temporum ordine argumenta petenda sunt: nec magis iudicium de alterius Pythiadum computationis praestantia quidquam valet, ubi id solum examinandum est, utra cum Pythionicarum catalogo congruerit. Ceterum haec nonnisi oscitantis illius lectoris gratia, qui verbis a Bergkio non nimis accurate electis se decipi patitur, tam fuse exposui: ipse enim vir doctissimus paullo aliter sensit. Scilicet commendabiliorem eorum calculorum rationem, qui a recentiore initio Pythiadum enumerationem incipiunt, ideo ille ad hanc quaestionem adhiberi posse ratus est, quia Pythionicarum catalogus dubitari nequit quin ab Aristotele confectus sit et quia Stagiritae libenter sapientissima quaeque tribuimus: alteram igitur computationem ab aliis excogitatam esse statuit, qui Pythiadum origines altius repetere maluerint. At speciosae huic ratiocinationi sine difficultate alia non minus probabilis opponi potest. Cum enim cuiusvis solidioris scientiae fundamenta ab Aristotele iacta sint, singulas autem eius partes usquequaque perpolire vir summus nondum potuerit, potissimum quidem in chronologica arte eo validiores fuisse videntur philologi Alexandrini, nec mirum si in Pythiadibus numerandis ille deteriorem rationem secutus est, hi re acrius pensitata computos emendarunt. Nec tamen hoc ipsum alio consilio protuli nisi ut eiusmodi coniecturis nihil effici demonstrarem: immo haec omnia non sine taedio eo commotus scripsi, quod, quae breviter de quaestionis statu in commentationibus Mommsenianis p. 48 significaveram, a nonnullis non intellecta

videbam. Iam vero ut serio de re seria loquar, iudicium de ipsa re e Pindaricis carminibus solis peti potest.

Ad quae priusquam accedam, pauca adhuc de diversarum illarum computationum auctoribus praemittere liceat. Atque eius quidem, quae a priore Olympiade exordium sumit, notitiam Pausaniae (X, 7, 3*)) debemus, alterius autem testem habemus scholiastam, qui ad Pythici carminis tertii inscriptionem Pythiadem duodetricesimam cum Olympiade septuagesima sexta comparat. Atque is quoque solus est. Nam scholion, quod ad Olympici carminis duodecimi indicem ascriptum est, secundum luculentissimas Tychonis Mommsenii emendationes, quibus nunc etiam Bergkius p. 129 assentitur (*ἠγωνίσατο οζ' Ὀλυμπιάδα καὶ τὴν ἑξῆς, Πυθιάδα δὲ κθ' — Ὀλυμπιάδα μὲν ἐνίκησεν οζ' καὶ τὴν ἑξῆς οη', Πυθιάδα δὲ κθ'*), victoriam Ergotelis Pythiade undetricesima partam commemorat, de ratione autem inter Pythiades et Olympiades intercedente nihil prodit: nec magis in scholio ad Olympici carminis noni versum 17, perquam illo quidem confuso et corrupto, quod tamen aperte unius tantum victoriae tempus significat, ulla inter Olympiades et Pythiades comparatio instituitur**). Marmoris vero Parii auctor id solum tradit Olympiadis quadragesimae septimae anno tertio certamen pecuniarium, Olympiadis undequinquagesimae anno tertio certamen coronarium Delphis institutum esse, de eorum tamen significatione per numeros omnino tacet: atque etsi inde facile intellegitur cur fuerint qui a coronarii ludi institutione Pythiades numerare mallent, ne alteri quidem rationi eius narratio ullo pacto obstat. Etenim huius rationis parentes, quantum e Pausaniae verbis colligere licet, ludis pecuniariis Olympiadis duodequinquagesimae anno tertio splendidius et magis composite quam quadriennio ante celebratis primae Pythiadis nomen tribuisse videntur: neque inter marmor Parium et Pausaniam quidquam interest nisi quod Olympiadis quadragesimae septimae anni tertii festo secundum hunc musicum tantum, secundum illud gymnicum quoque certamen adiunctum erat.

Verum ut tandem ad ipsam rem accedam, iudicium de Pythicarum victoriarum a Pindaro celebratarum temporibus e quattuor carminibus pendet, ex Olympico duodecimo, ex Olympico nono, ex Pythico undecimo et ex Pythico primo. Atque Olympicum duodecimum si vere est Olympicum, scriptum est Ergotelis victoriae

---

*) Cum numeris hoc loco positis id quoque concinere, quod idem scriptor V, 8, 3 et VI, 10, 2 de Demarati victoria Olympica Olympiade sexagesima quinta reportata refert, Boeckhius monuit Pind. opp. II, 2, 207.

**) Fusius de hac re dixi in commentationibus Mommsenianis p. 56.

Olympiade septuagesima septima partae, duarum autem Pythicarum victoriarum quae eidem contigerunt quaeque in versu 18 memorantur altera teste scholiasta in Pythiadem undetricesimam incidit, unde ultro quodammodo elucere videtur Pythiadem undetricesimam Olympiadi septuagesimae septimae antecessisse: eoque Boeckhius (Pind. opp. II, 1, 205—208) tanquam certissimo argumento usus est, ut Pythionicarum catalogi computos cum Pausaniae conspirare evinceret. Atqui eius ratiocinationem Bergkius p. 129 evertere studuit: neque enim Olympicam esse, sed Olympico-Pythico-Isthmiam illam odam statuit quattuor Ergotelis victoriis simul canendis destinatam. Quod genus num similium exemplorum comparatione confirmari possit, nunc inquirere supersedeo: illud tamen ipse Bergkius sensit rem ita tantum ad probabilitatem adduci posse, ut intra paucos annos omnes illas victorias nactus esse Ergoteles sumatur, ideoque duas Pythicas simul Olympiadis septuagesimae septimae anno tertio hominem deportasse coniecit. At si cui tam prospere cessit, ut duplici in eodem festo corona ornaretur, ei id plurimum haud dubie decoris afferebat, neque ullo modo credi potest rem tam splendidam in ipso poemate in eius honorem condito simplicibus verbis *καὶ δὶς ἐκ Πυθῶνος* significatam esse. Quod quid sit ut magis intellegatur, non abs re est Olympicum carmen decimum tertium, quod propter duplicem eiusmodi victoriam scriptum est, comparare: nam in eo non hanc solum magnifice extollit Pindarus, sed aliam etiam pridem patratam, quam memoriae tantum causa tangit, sollemniter sic praedicat v. 37: *Πυθοῖ τ' ἔχει σταδίου τιμὰν διαύλου θ' ἁλίῳ ἁμᾷ' ἑνί.* Iam vero non sum nescius esse quibus Olympicum carmen duodecimum propterea scrupulum iniicit, quia Olympica victoria in eo non ita ut par est efferri videtur: verum qui ita censent, ignorant quanta apud Pindarum vis sit collocationis verborum. Quam qui persentire consueverunt, eis non potest dubium esse quin verbis ita positis *Νῦν δ' Ὀλυμπίᾳ στεφανωθάμενος Καὶ δὶς ἐκ Πυθῶνος Ἰσθμοῖ τ'* Olympica corona celebretur, reliquarum tantummodo mentio fiat, pariter ut in Olympico carmine secundo ea quae praedicatur Theronis victoria nulla re nisi collocatione verborum a Xenocratis victoriis distinguitur v. 48: *Ὀλυμπίᾳ μὲν γὰρ αὐτός Γέρας ἔδεκτο, Πυθῶνι δ' ὁμόκλαρον ἐς ἀδελφεόν Ἰσθμοῖ τε κοιναὶ χάριτες ἄνθεα τεθρίππων δυωδεκαδρόμων Ἄγαγον.* Quocirca quae in duodecimo nuncupantur Pythicae victoriae, earum posterior non potest non biennio ante Olympicam, i. e. Olympiadis septuagesimae sextae anno tertio, parta cogitari, ut ad hunc undetricesimam Pythiadem referendam esse sequatur.

Aliqua ex parte cum hac oda comparari Olympica nona potest. Atque hanc quidem in aperto est neque Pythicam neque Olympico-Pythicam sed Olympicam esse, ut dubitari nequeat quin Olympiadis octogesimae primae anno primo sit scripta: quocirca cum in ea commemorata Pythica Epharmosti victoria Pythiade tricesima tertia parta esse videatur, sequitur ut haec Pythias non biennio post sed biennio ante, i. e. Olympiadis octogesimae anno tertio, acta sit.

Tertio autem loco Pythica oda undecima considerari debet. De cuius quidem tempore pervellem mihi transscribere liceret, quae Boeckhius in explicationibus p. 337 exposuit: ea enim adeo omnes habent probabilitatis numeros, ut nihil egerint qui alia moliti sunt. Ac primum quidem puerilem hic victoriam cani Boeckhius comparatis versibus 13 et 43 manifesto demonstravit: quod cum ita sit cumque secundum scholiorum testimonia Thrasydaeus Pythiadibus duodetricesima et tricesima tertia victor renuntiatus fuerit, simul illud consequi videtur ad harum priorem solam referri posse carmen quod tractamus. At hanc necessitatem ita effugere Hermannus Perthesius*) conatus est, ut Pythiadis tricesimae tertiae victorem a Pythiadis duodetricesimae diversum sed ei cognominem, illum autem, non hunc a Pindaro celebrari statueret, cumque in aperto esset carminis argumentum in corona stadio parta positum esse, scholiis etiam ita uti conatus est, ut posteriorem victoriam ad stadium referret. In qua re ab his scholiastae verbis profectus est: *γέγραπται ἡ ᾠδὴ τῷ προκειμένῳ νικήσαντι τὴν λγ΄ Πυθιάδα διαύλῳ*, de quibus ita iudicari posse in animum induxit, ut certaminis notatio ex errore grammatici orta, carminis autem cum tricesima tertia Pythiade coniunctio certa memoria prodita existimaretur. Verumtamen id nemo non videt contra se habere. Nam certaminum notationes simul cum victorum nominibus ad singulas Pythiades ascriptae e Pythionicarum catalogo hauriri poterant, de carminibus autem in eorum honorem compositis nihil usquam scriptum tradebatur, itaque in his suis temporibus assignandis facillime, in illis singulari tantum casu errare grammatici poterant. Quid? quod illius scholiastae errorem iam is et animadvertit et correxit, qui ad eius sententiam hanc adiunxit: *οὐκ εἰς τὴν τοῦ διαύλου δὲ νίκην γράφει, ἀλλ' εἰς τὴν τοῦ σταδίου.* Neque in aliam opinionem tertius ducit qui haec profert: *γέγραπται ἡ ᾠδὴ*

*) *Beiträge zur Erklärung Pindars (Treptow a. R. 1871)* p. 12. Summam sententiae ab eo prolatae praeiverant Tycho Mommsenius (*Pindaros* p. 62) et Rauchensteinius in Philologo t. II, p. 193—211.

Θρασυδαίῳ υἱοῦ Θρασυδαίου στάδιον, νικήσαντι ἐν Πυθιάδι, καὶ λγ΄ δίαυλον ἓξ στάδιον (sive *καὶ στάδιον*) *ἄνδρας*, nam cum quod Perthesius primo Pythiades ac deinde certaminum genera suo ordine enumerare voluisse putat, a consuetudine horum grammaticorum est alienum. Ad quae omnia id accedit, quod duobus cursoribus Thebanis illius temporis Thrasydaei nomen fuisse ita tantum aliquid probabilitatis habiturum esset, si alter alterius pater fuisset, at eius qui hic significatur patrem et ipsum Thrasydaeum vocatum fuisse propter versus 43 et 44 abhorret a veri similitudine. Ac satis haec de Perthesii ratione: cuius ut Scyllam vitaret, in Charybdim incidit Bergkius. Is enim ab ea scriptura profectus, secundum quam in scholio est *καὶ λγ΄ δίαυλον καὶ στάδιον ἄνδρας*, eundem Thrasydaeum Pythiade duodetricesima stadio atque Pythiade tricesima tertia et diaulo et stadio vicisse et in posteriorum harum victoriarum laudem carmen de quo sermo est conditum esse coniecit: quod etsi non sine dubitatione tamen ita protulit, ut huic rationi reliquas omnes posthaberi vellet (p. 234—236). At vel obiter intuenti tria se offerunt, ob quae omnino illa improbari debet. Nam nec duplicis coronae in eisdem ludis reportatae gloriam tacere nec diauli decus sub simplicis stadii nomine obscurare poterat Pindarus nec Thrasydaeus Pythiade tricesima tertia adhuc puer erat, si iam duodetricesima victor fuerat, quae quidem offensio ne mutato quidem numero λγ΄ in λβ΄ vel λα΄ tollitur. Tot et tantae turbae non ortae essent, si viri docti in re aperta acquievissent: nam Thrasydaeus carmine a Pindaro ornatus est, postquam puer Pythiade duodetricesima stadio vicit, et quod v. 14 foco paterno tertiam coronam imposuisse dicitur, id sive ad victorias ab ipso in domesticis certaminibus antea partas spectat sive ad eas quae familiae antea contigerant. Cum autem illud facile agnoscatur minus apte ad septuagesimae sextae quam ad septuagesimae quintae Olympiadis memoriam poetae verba referri, haec quoque oda pro indicio est duodetricesimam Pythiadem secundum catalogi numeros in Olympiadis septuagesimae quintae annum tertium incidisse.

De Pythico carmine primo, in quo totius quaestionis cardo versatur, paucissima habeo quae eis addam, quae in commentationibus Mommsenianis p. 49—52 uberrime exposui. Demonstravi enim et Aetnam montem ob magnam marmoris Parii in rerum prodigiosarum notatione auctoritatem Olympiadis septuagesimae quintae anno secundo arsisse et versus 50—52 propter Philoctetae comparationem necessario ad auxilium insequentis Olympiadis anno tertio ab Hierone Cumanis contra Tyrrhenos lato referri debere, ut in hunc ipsum annum omnia conveniant inque eo Pythias undetricesima, qua regi victoria currulis contigit, ponenda esse videatur. At exstitit qui id inde consequi negaret,

scilicet ut Bergkianos numeros servare posset. Otto enim Schroederus*) ita de hac re disputavit, ut de Aetnae montis eruptione et de memorata in versu 50 Cumanorum petitione recte me iudicasse concederet, contenderet autem nihilo minus Olympiadis septuagesimae septimae anno tertio Pindari carmen tribui posse: nihil enim obstare quominus sexennio post urbis Aetnae origines — ea enim condita est Ol. LXXVI, 1 — et novennio post montis eruptionem, quadriennio autem post bellum inter Cumanos et Tyrrhenos gestum ea dicta sint quae poeta profert. At hoc est ex eo explicationum genere, ad quod quis aliquando gravissimis causis aliunde instantibus coactus confugit, non ex eo quod quis ultro amplectitur, nam qui sine praeiudicata opinione ad versus 50—52 accedit, ei vigens rei nuperrime factae memoria in illis spirare apparet, ad quam rem etiam particulae quae sunt *νῦν γε μάν* conferunt. Nec minoris momenti illud est, quod ea quibus Aetna urbs praedicatur longe aptissimum intellectum habent, si brevissimum ex quo illa condita erat tempus effluxerat, id quod potissimum in versus 33—35 cadit. Itaque cum carminibus Olympico duodecimo et nono et Pythico undecimo Boeckhiana sententia de Pythionicarum catalogi numeris haud mediocriter commendetur, confirmatur ea vel maxime Pythico primo.

Unum adhuc verbum de eo grammatico addere par est, cui alterius computationis notitia debetur, auctorem dico scholii ad Pythici carminis tertii inscriptionem. Is enim quod Pythiadem duodetricesimam Olympiadi septuagesimae sextae aequalem esse voluit, etsi de numeris e Pythionicarum catalogo petitis sermo erat, nihil aliud fecit nisi quod plerique solent, qui in insuetam sibi numerandi rationem forte incidunt proque ea consuetam mente substituunt, veluti, ut exemplo iam supra adhibito denuo utar, si quis hodie diei significationem alicubi repertam, quae secundum Rossicos fastos intellegi debet, ad Gregorianos refert. Neque id mirum est in eo homine, qui non solum, id quod facilius excusari posse videtur, Hieronem septuagesima sexta demum Olympiade in regnum ascendisse arbitratus est, sed etiam Pythiadem et Olympiadem a diversis annis incipere ignoravit. Ita enim ratiocinatur, ut Pindari carmen utpote regnante Hierone conditum post Olympiadis septuagesimae sextae atque ob id ipsum post coniunctae cum hac Pythiadis duodetricesimae initium ortum esse his verbis affirmet: *Ἱέρωνι Πύθια νικήσαντι τὴν κζ Πυθιάδα γέγραπται· μέμνηται δὲ καὶ τῆς πρὸ ταύτης Πυθιάδος, ὥστε ἐπὶ ταῖς δύο νίκαις τὴν ᾠδὴν συντετάχθαι.*

*) *Jahresberichte des philologischen Vereins zu Berlin, Jg.* V, 51.

συνᾴδει δὲ καὶ τὰ ἀπὸ τῶν χρόνων· ὡς γὰρ ἤδη βασιλεύοντός φησιν . . . καθίσταται δὲ ὁ Ἱέρων βασιλεὺς κατὰ τὴν ἑβδομηκοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα, τῆς εἰκοστῆς ὀγδόης Πυθιάδος τῇ προκειμένῃ Ὀλυμπιάδι συγχρόνου οὔσης, ὥστε πάντῃ τε καὶ πάντως μετὰ τὴν ὕστερον Πυθιάδα, ἥτις γέγονε περὶ τὴν ἑβδομηκοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα, συντετάχθαι τόνδε τὸν ἐπίνικον: ubi vocabulo *ὕστερον* Pythiadem duodetricesimam vicesimae sextae et vicesimae septimae, non Olympiadi opponi patet. Itaque si in quaestione quam tractamus e testium doctrina atque ingenio argumenta petere liceret, tantae inscitiae grammaticus minime profecto dignus foret, cuius dictis chronologia Pindarica superstrueretur.

Quae praeterea inter Bergkium et me dissensio est de primae odae Olympicae tempore, de ea brevis esse potero. Atque contenderat ille hoc carmen Olympiade septuagesima sexta scriptum esse, quia eius exordium a poeta in Olympica oda tertia respiceretur: id autem contra se habere in commentationibus Mommsenianis p. 57—60 pluribus docui. Nam praeterquam quod eiusdem sive imaginis sive proverbialis locutionis in diversis carminibus repetitio Pindari consuetudini latissime illi quidem patenti respondet, nullo pacto credi potest hunc poetam, id quod fecisset si in tertia oda primam significasset, eum regem eamque victoriam, quos paullo ante splendidissime exornaverat, post exiguum temporis spatium Theronis gratia invidiose detrectasse. Neque illi rationi ipse iam Bergkius quidquam tribuere videtur, atqui in novissima editione p. 480 alterum pro sua sententia argumentum profert, quod tamen et ipsum speciosius est quam verius. Dicit enim ad primam Olympicam victoriam ab Hierone reportatam, quam Olympiadi septuagesimae sextae tribuit, propterea carmen referri debere, quia, si rex iterum victor esset renuntiatus, poeta ante partam Olympicam coronam non fuisset silentio praetermissurus, atque insuper hoc argumentum validissimum esse eos concessuros affirmat, qui Pindari consuetudinem noverint. Immo hoc ei fortasse concedent qui poetae rationem summatim degustarunt, non qui noverunt: hi enim non possunt non Pythici carminis primi recordari, quod victoriarum priore tempore ab Hierone paratarum memoria omnino caret. Quid? quod eidem ne illud quidem fortasse ab hac quaestione prorsus alienum iudicabunt, quod in eo carmine quod Pythicum secundum appellari solet nullius prioris victoriae, in eo autem quod Pythicum tertium appellari solet duarum tantum Pythicarum fit mentio, quanquam haec dubitari potest num satis recte inter epinicia numerentur. Nec difficile intellectu est qui factum sit ut illa antiquioris laudis renovatio, de qua Bergkius ita loquitur ac si illa semper in usu fuerit, apud eos potissimum homines cum

diligentia adhiberetur, qui suorum corporum virtute non sine assidua exercitatione coronas appetebant, longe minus autem apud reges, qui sessores sive aurigas vel Pisam vel Delphos mittebant.*) Igitur ut non sine probabilitate — neque enim id iam diffiteri in animo est — e Didymi adnotatione ad versum 33 vir doctissimus collegerit non Olympiade septuagesima tertia sed septuagesima sexta Olympiae primum celete vicisse Hieronem, nihil tamen ab eo prolatum est causae, ob quam Pindari odam ad hanc victoriam quam ad eam quae Olympiade septuagesima septima Hieroni contigit referre praestet. Restat igitur, ut inter has diiudicetur, cum coniecturae ad Siciliense Pindari iter spectantes nihil promoveant, unum illud argumentum, de quo ego in commentationibus Mommsenianis p. 57 dixi quodque e carminis versibus 108—111 petitum est. Hoc autem mirum in modum deformat Bergkius, cum ut Olympiadi septuagesimae septimae epinicium tribuam hanc mihi causam esse tradat, quod in eo extremo poeta se sperare dicat fore ut Hiero etiam curruli victoria potiatur, eaque ei reapse contigerit Olympiade septuagesima octava: quo non contentus operam perdit demonstrando Hieronem exspectata victoria excidere potuisse. At quis id unquam negavit? Immo propterea minus credibile esse dixi illos versus Olympiade septuagesima sexta cantatos esse, quia, si id statuitur, Hiero nihilo minus insequenti Olympiade celetis certamen subiit atque in eo vicit, id autem ludibrium ei magis quam gloriam paraturum erat, siquidem quadriennio ante modo non toti Graeciae Pindari ore renuntiari iusserat sibi nihil iam in hoc genere praeter currulem victoriam esse exoptandum: nam huius poetae verba profecto non intra principum tantum parietes audiebantur, sed late circumferebantur. In quam sententiam cum ego religionem quoque cum Olympico festo coniunctam levitatem in his rebus prohibuisse significaverim, Bergkius nunc eo procedit, ut trossulos graecos talia non magis curasse contendat quam eos qui hoc saeculo rei equestris studio dediti sint (p. 481): at nisi sanctius quid in illis certaminibus Pindari aequales persensissent, poesis eius intellegi omnino nequiret.

Spinosam disputationem haud profecto libens iteravi: quae tamen et ipsa, si quid video, iucundiore fructu non omnino caret. Nam si Olympicum carmen primum diu post tertium Olympiade septuagesima septima ab eo scriptum esse recte demonstravi, foeda illa bilinguis sermonis nota liber manet

---

*) Minus accurate quam debebam de hoc genere in libro de Pindari vita et poesi p. 147 locutus sum.

Pindarus, quam e nonnullorum iudicio subiit: nec minus si de Pythicarum odarum tempore secundum Pythiadum computationem a Boeckhio et me probatam statui debet, id quoque ad rectius aestimandam poetae indolem nonnihil valet. Ita enim Pythica carmina nonum et undecimum, quibus duae victoriae Pythiadis duodetricesimae celebrantur, septuagesimae quintae Olympiadis anno tertio haud nimis multo post gravissimam rerum Thebanarum eversionem sunt condita, ut magis etiam vividus ille patriae urbis amor intellegatur, qui ex his perlucet et qui in eis, ob quae nobis diligendus est poeta, non ultimum locum tenet.

LK.163.64.

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

PA
4276
S34

Schmidt, Leopold Valentin
Supplementum quaestionis
de Pindaricorum carminum
chronologia

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 15 22 17 03 004 2